



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Septimus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)



## MODUS SEPTIMUS.

Singula verba sententiæ, sigillatim expenduntur, & ad instructionem salutarem Auditorum referuntur. Sic E. G. die tertia Paschatis, expendi possent illa verba Lucæ 24. *Stetit ꝑ̄ ESVS in medio Discipulorum*: Stetit scilicet, ut se surrexisse è sepulchro demonstraret: stetit, ut morem Divinum, quo afflictis ad stare solet, clementer probaret: stetit verò in medio, ne alicui Apostolorum particulariùs se admovisset, non communem fructum resurrectionis, quispiam metueret. Sic cor, *in medio* hominis constitutum, hominem animat. Sic sol, *in medio cæli*, omnibus lucet. Stetit deniq; in medio discipulorum, ut in magisterio, faceret nos discipulos, & doceret, medium semper tenendum, scilicet, *in medio virtus*. *Nec nil, nec nimium: medium tenuere Beati. Tene medium*, ait Bernar: *Si non vis perdere modũ, in te consiste. Locus medius, virtus est. Medium, sedes modi, & modus virtus*. Nec Angeli sumus, nec bestia, nec nimium sapiamus, nec jumentis per vitia æquemur, in nobis sistamus.

## P R A X I S.

Feria II. à Pentecoste:

*Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret Ioan. 3.*

**A**ccessus & Propositio. Prodigiosa hæc prorsus est dilectio, cujus rationem nosse, ut maximè inter est: ita eam, verbis ipsis inclusam, deprehendere mihi videor. Singula igitur attentè expendamus.



Confirmatio, per Verba sententiæ Ex-  
penſa.

Primū Verbū, *Deus*. An ergo fortassis *Deus* quia *Deus* est & Rex princepsq; summus hoc egit? ut ij quos ſaluaret, ſibi famularentur, ſe laudarent. Principes enim terræ, quo majores ſunt, majori egent famulatu. Omiferam hominum egeſtatem quorum nec potentia cogitari poteſt, quin occurrat inopia. Job. 38. *Accinge lumbos ſicut Vir ait Dominus, interrogabo te & responde mihi? ubi eras, quando ponebam fundamenta Terra? Nusquam dubio procul, & nihil eramus. Deus autem noſter, hoc erat antequam creati eſſemus, ait Cyril: quod etiam nunc eſt, & nihil ei attulimus. Pſal. 114. Omnia quacunq; voluit fecit. ſuper quæ verba D. Aug: *Cauſa omnium quæ fecit, voluntas ejus eſt. Facis tu Domum, quam ſi nolles facere, ſine habitati- one maneres: neceſſitas te cogit facere, non libera vo- luntas. Facis veſtem, quia ſi non faceres, nudus ambulares: ad faciendam veſtem, neceſſitate duceris, non voluntate. Deus omnia bonitate fecit: & nullo quod fecit, equit; Declarasti juſtitiam tuam inquit Doctiſſimus Leg. lib. 1. de perfectione: Divinis, contra peccatum, quando tot millia Angelorum, propter unum peccatum è celo in tartarum deturbasti: & aternis ſupplicijs ſubjeciſti, nulla ſpe veniæ relicta. Nō tibi cordi fuit, quod illi eſſent tanto numero, tantā natura excellentiā, & pulchritudine, tanto ingenio, ac rerum notiā præditi: nec curasti omnem laudem, benedictionem, gratitudinem, honorem, & Gloriam**

ab



*ab illis tibi in omnem æternitatem proventuram: si illis hanc culpam condonasses. Abi miser homuncio, & quemadmodum tui indigus esse non potuerit, qui Angelis non eguit, conclude: ac cum Ps. exclama Psal. 15. Bonorum meorum non eges: atq; cum August. solil. 10. Laus tua tu es, beatitudo tu es, felicitas tu es, Majestas tu es, Divitiæ tu es.*

Secundū Verbū, *Mundū*. Ejus ergo aliqua dignitas, aliqua pulchritudo, ac eminētia spectari poterat quæ Deum Dominū ad tantum opus permoveret? Sed *si Cæli non sunt mundi, in conspectu ejus* Job. 15. quam immundus sit necesse mundus, terra, limus, lutum. De Sodomitica Regione. ait: Oros. lib. 1. cap. 5. *Apparet forma Regionis, sed invenitur Regio cineris.* Talis omnino mundus est, præsertim in oculis Dei, unde & Job. cap. 31. *Memoriã vestra comparabitur Cineri: Hæbrei legunt memoriã vestra, sermones vel parabola cineris.* Quid hîc dignum Deo, quid par ejus dilectioni? Victor Antiochenus explanans illud Marc. 2. quod intraverit Dominus domum Zachæi subdit. *In qua præter unam Patris Familias pœnitentiam, nihil prorsus boni reperit.* Quam longè aliter decerneremus, si illa domus nobis spectanda proponeretur; domus utiq; hominis opulentissimi? Alius laqueata palatia, aurea alius peristromata, marmoreos alius laudaret parietes. Christus præter unam pœnitentiam, nihil boni comperit. Pari ratione fallimur, dum mundi honores splendoremq; suspicimus, qui coram Deo nulli sunt: unde, & qui maximi à nobis habentur, nimirum Regum & Princi-



pum: Deo Isa, 14. Stirps inutilis, pollutus & obvolutus vocantur, & 3. Reg. 14. Fimus, & Psal. 32. Jer. 9. 1. Machab. 2. Stercus terræ, unde & Paulus divino iudicio suum confirmans, *omnino arbitratus ut stercorea* ad Philip. 3.


Tertium Verbum. *Unigenitum filium suum*. Hoc quidem certè non solum non videtur suggerere causam dandi filij, sed tollere. Quis enim filium? quis filium unigenitum? quis filium unigenitum Dei, pro mundo speret tradi? Hinc Apostolus 1. ad Corinth: 1. *Christum crucifixum, Judæis dicit, scandalum, gentibus stultitiam*. Habac. cap. 3. *Domine, inquit, audivi auditionem tuam, & timui. Domine opus manuum tuarum, in medio annorum vivifica illud*. Auditio, ad quam Propheta expavit, est præceptum mortis Christi, & ideò opus manuum eius, in cruce pro nobis expansurum. Quantum autem, & quale sit, tunc capiemus: cum in medio annorù, vivificabit illud, id est, inter tempus & æternitatem: quando venturo ad iudicandum Domino, apparebit signum filij hominis, & plangent omnes tribus terræ: flentibus malis; præ horrore conspecti signi: & bonis; præ gaudio, admirabiliter dispositæ redemptionis suæ. Nihil igitur, hoc quoq; verbo suggeritur, quod sit causa: cur Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum daret pro illo.

Quartū Verbū *Dilexit*. Hoc enim verò restat: & hoc unicum, est causa tam prodigiosæ charitatis. Ne quæras amplius. Cur Deus tradiderit Filium unigenitum pro mundo? Ratio tota est. *Dilexit*.

Vere



Vere Diony cap. 4. de Divin. Nomin. *Deus ipse sui ipsius, & sibi ipsi, provocator & motor est. Ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi.* Bern: Serm: 5. in Nati. Id in subiecta redemptionis causa significaturus apud Ezech. cap. 16. *Transiens autem, inquit, per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cum esses in sanguine tuo, vive.* Quid hic causæ amoris? nisi quia dilexit: & quidem volutatos in sanguine nostro, cum scilicet ejus inimici essemus. Non enim, pergit explicans August eum de calo merita nostra, sed peccata traxerunt. Quare per Isai. 27. minatur. *In mensura, contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam:* nimirum, in mensura misericordiæ Dei, opposita impietati nostræ, ut proinde toto corde clamandum sit: *Domine non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua, non pereat in miseria mea, quod operata est misericordia tua:* Cap. II. Solil.



## MODUS OCTAVUS.

**E**st Allegoricus: Allegoriâ, Rhetoricè sumptâ, non autem Theologicè, de qua actum est modo tertio. Est autem Allegoria Rhetoricè sumpta, quando res sub similitudine tractantur: non rem rei assimilando: sed posteaquam similitudinem convenientem assumpsimus: ita de similitudine assumpta agendo, ut facile Auditor intelligat, quid de re, sub similitudine comprehensa, dicere velimus. E. G. ad Verba Marci 16. quibus sig-